



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MARIANOPOLITANA GRAECORUM**

MELKITARUM CATHOLICORUM IN CANADA EXARCHATUS APOSTOLICUS CONDITUR PRO
OMNIBUS

FIDELIBUS CATHOLICIS BYZANTINI RITUS MELKITARUM IBI COMMORANTIBUS

Qui benignissimo Dei consilio Ecclesiae sanctae praepositi sumus ut Beato Petro similes eius utilitatibus consuleremus, omnes Nostras vires et studia et curas in eo collocamus, ut non solum necessitatibus filiorum Nostrorum provideamus, sed eo modo qui sit bis temporibus accommodatus. Hoc enim tum officium poscit ipsum summi Ecclesiae pastoris tum animorum bonum exigit, sollicitudini nostrae commissorum. Qua re, cum Sacra Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, auditis quidem tum Venerabili Fratrem Patriarcha Maximo V Hakim, tum Conferentia Episcoporum Canadensis dicionis, id proposuerit ut in hac ipsa regione Exarchatus crearetur Apostolicus pro fidelibus catholicis Ritus Byzantini Melkitarum, ratione nempe habita eorum quae Decreto Concilii Vaticani II « [De Ecclesiis Orientalibus Catholicis](#) », n. 4 continentur, Nos rati per hoc aptius filiis Nostris eius Ritus consuli, ea quas sequuntur statuimus ac iubemus. In Canada Exarchatum Apostolicum constituimus pro fidelibus catholicis Byzantini Ritus Melkitarum universis, cuius Sedem in urbe Marianopoli collocari censemus, magisterii vero cathedram in templo poni cuius est appellatio « Sanctissimi Salvatoris pro Graecis Melkitis Catholicis », cum iustis iuribus. Novi Exarchatus Consultores deligantur, qui Exarcho assint consilio atque opera. Mensa exarchalis, quae dicitur, collationibus populi, tributis paroeciarum, bonis ad Exarchatum pertinentibus coalescet. Exarchatus iura et obligationes desumantur e Litteris apostolicis « Cleri sanctitati », maxime e Canonibus a 366 ad 388, cauto tamen ut potestas iurisdictionis Exarchi in fideles Ritus Byzantini Melkitarum non exclusive exercentur, sed cum Ordinariis locorum, qui tamen secundaria ratione, ut dicitur, iure suo utantur. Ubi vero paroecia pro fidelibus illis desit, Curio Latini ritus illorum curam gerat, donec per proprium Curionem provideatur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertia decima mensis Octobris, anno millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

LADISLAUS Card. RUBIN
S. Congr. pro Eccl. Orient. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost. s. n.*

*A.A.S., vol. LXXIV (1980), n. 8, pp. 1075-1076

© Copyright 1980- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana